INNO

CHE SI CANTA

NELLA

PARROCCHIA DI MONESIGLIO

MENTRE

NELLE FESTE NATALIZIE

SI ADORA E SI BACIA

LA STATUA DI GESU' BAMBINO



MONDOVÌ

PER G. BIANCO TIP. VESC.

1872

HYMNUS

Verbum caro factum est de Virgine Maria;
Omnes coeli Principes et milites
Exultate canendo:
Alleluja.
Montes, colles, nemora, et sylvae
Benedicite Domino:
Alleluja.
Coelum, terra, maria et flumina
Resonate laetitia;
Alleluja.
Omnes Gentes plaudite canentes:
Iubilate Deo;
Alleluja.

Festos choros ducite alacriter,
Tuba jubilante:
Alleluja.
Quia omnes hodie videbitis
Mirabilia Dei;
Alleluja.
Noctis erat medium silentium,
Corruscante lumine:
Alleluja.
Quando sacra venerat e coelo
Plenitudo temporis;
Alleluja.
Virgo virum nesciens concepit,
Obumbrante spiritu;
Alleluja.
Verbum caro factum est in tempore
Super omne tempus;
Alleluja.
Verbum verbo genuit puerpera,
Angelo nuntiante:
Alleluja.
Verbum Dei clauditur in Virgine.;

O mirabile dictu!
Alleluja.
Deus homo factus est veraciter
Ineffabili modo;
Alleluja.
Corpus sacrum bajulat in utero,
Nesciente Zabulon;
Alleluja.
Virgo Iesse floruit et protulit
Angelorum gaudium;
Alleluja.
Virgo mater peperit infantem
Paradisi gloriam;
Alleluja.
Virgo tamen permanet intacta,
Obstupente natura;
Alleluja.
Notum fecit Angelus pastoribus
Salutare Dei;
Alleluja.
Verbum vitae praedicant Apostoli
Peragrantes orbem;

Alleluja.
Fortes fiunt Martyres in poenis
Laureati sanguine;
Alleluja.
Confessores jubilant et nunciant
Natum esse Dominum;
Alleluja.
Virginalis castitas exultat,
Veniente sponso;
Alleluja.
Nostris ergo vocibus cantemus,
Collaudantes Dominum;
Alleluia.
Eja gentes Domini consurgite,
Adorantes puerum,
Mille dantes oscula,
Occurrentes obviam
Salutari nostro.
Acclamantes gratiam
In laetitia magna,
Incéssabili voce,
Per aeterna saecula.

Applaudite

Gloria laudis resonet in Coelo
Omnipotenti Deo;
Alleluja.
Cujus nato pariter sit splendor
Omni tempore saecli;
Alleluja.
Sancto quoque flamini sit gloria
In aeterno tempore;
Alleluja.

